Sigismundus Augustus dei gratia Rex Poloniæ Magnus dux.
Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Mazoviæ, etc: dominus et hæres.

M

Agnifico Stanislao à Tharnow Castellano Zawichostensi Regni nostri Thezaurario ac Syradiensi Ostrzescho:
miensi Krzeschoviensiq; capitaneo Syncere nobis dilecto gratiam nostram Regiam. Mag.ce Syncere nobis dilecte.
Habet à nobis assignatum salarium annuum Quinquaginta florenorum Polonicalium, et septem ulnarum panni Lun:
densis ita uti asserit, Magister noster bombardarius Wolff Fehischer qui mandato nostro profectus erat in arcem
Ostrze in confinies nostros. Qui affirmat sibi pannum pro uno quartali anni, et integrum annuum salarium pecunia:
rum pro integro anno à nobis deberi, dederamus etiam nuper literas nostras ad S: tuam, ut pro uno quartali
anni de prædicto eius salario annuo Andreæ Dolman solveret, quod adhuc à S: tua non esse factum asserit.
Quoniam vero illius opera ad proximum bellum Livonicum egemus. S tuam hortamur atq; illi mandamus, ut
accepto sufficienti testimonio, quantum videlicet illi deberemus, et omne hoc quod ei nomine prædicti anni sa:
larii iam debetur, et adhuc pro una medietate anni præterlabendi absq; ulla mora illi solvat, at hoc ipsum in
manus Hanns Crin Magistri nostri bombardarii extradat, ea conditione, ut apud nos Vilnæ pro Dominica
Palmarum proxima sine ulla cunctatione sit. Nos vero id more solito in acceptum referemus. Aliter pro gra:
tia nostra non factura. Datum Vilnæ die XXa Februarii. Anno Domini M D L vii°. Regni vero nostri
XXviii°.

Sigismundus Augustus
Rex

Ad mandatum sacræ
M Regiæ proprium

Mag.co Stanislao de Tarnow, castellano Zawichosten.
Regni nri Thesaurario, ac Siradiensi Ostrzessowienq.
capitaneo sincere nobis dilecto.

In absentia eius Thesauri notariis.

Woj. i Miejska Biblioteka Publiczna w Bydgoszczy BIBLIOTEKA Główna
Rkp 1219/36
45